

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 5877

**Auteur(s) :** Rotrou de Warwick, Évreux (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Muzy, Notre-Dame de L'Estrée (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [...1144-1148...]

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Rotrou, évêque d'Évreux, confirme plusieurs donations faites à l'abbaye de l'Estrée, en présence de Geoffroy, évêque de Chartres, Hugues, évêque d'Auxerre, Guichard, abbé de Pontigny, et de Guiard, archiprêtre de l'évêque Rotrou, qui a assisté [à la fondation de l'abbaye] à la place de ce dernier.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Combalbert Grégory, *Actes des évêques d'Évreux (XIe siècle-1223)*, à paraître sur E-Cartae(lien à venir)

Texte établi d'après a

Rotroudus Dei gratia Ebroicensis episcopus universis fidelibus sancte Dei Ecclesie salutem in Domino. Quoniam ad episcopos pertinet ea que de abbatiis et ecclesiis donantur conservare ac tueri, eapropter et nos, quantum ad potestatem nostram et parrochie nostre pertinet, confirmamus et rata esse volumus que dedit abbatie de Strata Raherius de Dunjun, et Amalricus et Nivardus de Nona Curia, et Radulfus de Isio et Hugo de Castello, impresentia domini Gaufridi Carnotensis episcopi, et domini Hugonis Autisiodorensis episcopi, et domini Guichardi abbatis Pontiniacensis, et Guiardi archipresbyteri nostri qui affuit ibi vice nostra. Dedit autem predictus Raherius abbatie de Strata et concessit imperpetuum monachis ibidem habitaturis quantum unus piscator omni tempore in fluvio Arva qui locum illum preterfluit piscari posset ; concessit etiam eis licentiam eundem fluvium adducendi per officinas suas, sicut idem monachi sibi necessarium estimarent ; et locum congruum piscationi quem homines vulgari suo gort appellant, quem profecto locum et abbatie situm ipse preambulans demonstravit et certis metis signans, monachis libere imperpetuum possidendum concessit ; dedit etiam quemdem fontem qui erat juxta situm abbatie et usuarium mortui bosci de Museio, hec omnia filiis suis Godefrido et Raherio concedentibus. Amalricus vero dedit eisdem monachis medietatem territorii Strate, et aream molendini de Francheto, et totam terram de Forgis, et medietatem terre de Borguinvilla, et hec omnia ita libere possidenda concessit imperpetuum, sicut ipse possidebat, concedente hoc uxore sua Columba et filiis suis, et Raherio de Dunjun cum predictis filiis suis, de quorum cassamentis erant que dedit. Nivardus autem de Nona Curia dedit eisdem monachis libere deinceps possidendum bosculum de Faiello, concedente uxore sua et filiis suis Guillone et Gileberto. Radulfus autem de Islo dedit eis unam carrucatam terre apud Merevillam, quod concessit uxor ejus. Hugo de Castello dedit eis imperpetuum pasnagium boscorum suorum ad opus porcure qui sui proprii essent, et usum mortui ligni in bosco de Crotasio, et hec in manu Gaufridi Carnotensis episcopi posuit et dimisit. Has omnes donationes sigillo suo firmavit tunc dominus Gaufridus Carnotensis episcopus. Testes sunt hujus rei : Goslenus prepositus ecclesie Carnotensis, Galterus Sancte Marie Blesis canonicus, domnus abbas de Brolio, Guiardus archipresbyter qui vice nostra ad hoc videndum et recipiendum adderat. Preterea multi monachi, presbyteri, clerici tam de Carnotensi quam de nostre episcopatu affuerunt, et multi milites, et tam de Drocis quam de vicinis locis, plurima populi multitudo. Supradictas

ergo donationes, sicut sigillo domini Gaufridi Carnotensis episcopi et predictorum virorum testimonio firmate sunt, ita et nostro tam sigillo quam testimonio volumus imperpetuum roborari.